

in Christo fundatæ, *indigentiam nostram exponens*; sumus enim ob peccatum miserimi facti. Quemadmodum & alias peccatum, ejusque confessio, adducitur, non ut causa, per & propter quam homo clementiam Dei promereatur: sed ut medium, per quod hominis miseria, propter quam clementia Dei necessaria ipsi sit, exponatur. Vide Psal. 40. v. 13. 14. & 6. v. 3. & 51. v. 4. 5. & 103. v. 13. 14. Jerem. 14. v. 7. & 1. Paral. 22. v. 8. & passim. Quod contra Photinianos hic est accuratè notandum.

14. Si quis hic nolit acquiescere, reponam ei verba D. Lutheri, qui in c. Genes. 8. pag. 402. edit. in 8. inquit: *Porro hic etiam inconstantie videtur Deus accusari posse. Supra puniturus hominem, causam consilii dicit: Quia figmentum cordis humani malum est. Hic promissurus homini gratiam; quod posthac tali ira uti nolit, eandem causam allegat.* Homini igitur sapienti stulta hæc videntur, & neutiquam convenire divinæ sapientiæ. *Sed ego sublimia libenter vito, & relinquo ea otiosis Spiritibus:* Itaque mihi satis est, quod hæc dicuntur *pro nostro affectu*, ut scilicet Deus ostendat, *se jam placatum esse, & non amplius irasci.* Nam ita parentes quoque solent, postquam pro merito flagellarunt inobedientes liberos, tandem blanditiis eos iterum quasi conciliant sibi. Hæc inconstantia non solum reprehendi non meretur, sed laudanda est: Prodest enim pueris, ne dum virgam metuunt, etiam parentes odisse incipiant. *Hæc solutio mihi satis est; invitat enim nos ad fidem.* Alii alia afferre possunt. *Hæc Lutherus.*

15. Jam ergo pro *Propositione* probandâ, argumentor: Si figmentum cogitationum cordis humani non solummodo *verè*, sed etiam *tantum* malum est, non duntaxat diebus ætatis *senilis, virilis, juvenilis & puerilis*: sed etiam omnibus diebus *infantiæ* hominis; ergo peccatum originale non separatum est *tempore infantilis ætatis*, à motionibus & fictionibus seu formationibus peccabilibus: Ratio est; quia aliàs ipsum figmentum non *tantum* esset malum omnibus diebus infantie, siquidem foret *etiam* bonum; scilicet tum, quando malum esset ab illo sequestratum. At prius est.

16. Frustra namque quis objiciat, in Hebræo textu Gen. 8. v. 21. legi מנעריין *mineyraif*, ab adolescentiis (ut ita latinè liceat loqui) ejus. נעוריין *neurim*, verò notare non tempora infantie, sed adolescentie. sicut vox נער *naar*, significet non *infantem*, sed *juvenem*: Vana, inquam, hæc est objectio: siquidem vox *naar*, non tantummodo designat adolescentem. Vid. 1. Sam. 2. v. 13. & 15. sed etiam infantem: Quoniam

B infans